

# Kreis Paderborn

S. 153

1219.

[36

Abt Alexander von Northeim überläßt das Eigentum an Gütern zu Dehausen (Kr. d. Twiste, Waldeck) und Stoc (bei Dehausen, f. B. II.-B. IV, 2329) an die Matrone Luttrudis vor dem Konvente des Klosters Hardehausen.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Alexander Dei gratia abbas in Northem totumque ibidem collegium tam posteris quam praesentibus in perpetuum. Cum de praediis nostri monasterii quaedam particula, quae dicitur Thedebus et aliud quoddam, quod dicitur Stoc, per quendam antecessorem nostrum ad matronam quandam nomine Luttrudis iure villicationis devenisset, actum est inter nos, ut eandem villicationem nobis resignaret, et nos praedicta loca acceptis XX marcis argenti communi consensu et consilio praedictae matronae in perpetuum contulimus et nos de praedictis marcis coenobio nostro utiliora providimus redimentes bona a creditoribus nostris alia quaedam fere irrecuperabiliter fuerant obligata. Haec ordinatio coram domino abbate Alberto de Herswidehusen et senioribus de conventu ibidem tandem fuit terminata, quibus placuit et nobis cautum visum est, ut praeter eorum testimonia hanc paginam testimonialem tam sub nostro quam sub ecclesiae nostrae sigillo posteris relinqueremus, per quam saepe dicta matrona vel alius quilibet, cui collatum fuerit post eam praedictum praedium, possit ab iniustis contradictionibus sibi vindicare. De conventu nostro testes hi: Daniel prior, Conradus cellerarius, Gerhardus custos, et quidam miles Johannes; de conventu in Herswid(ehusen) Gerhardus prior, Gerwinus gngiarius<sup>1)</sup>. (?), Caesarius novitiorum magister et alii quam plures. Anno ab incarnatione domini MCCXIX.

VII, 61. Collatum cum suo originali a. 1662, appensa duo sigilla integra.

<sup>1)</sup> Für grangiarius (?).